



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XX. Nobilitatis defensio principem potentem facit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

aufit sine dono. Nemo minus aliquid aut dignitatem consequi potest, nisi pecunia interueniente. Nullus a provincia cui praefuit, aut ab expeditione qua fecit, vacuus manib. in tanti Principis conspectum venit. nec vero tanto Principi titiuititia donantur, aut teruncii. Moldauia, Valachia, Transylvania, Vainoda Principatus suos donatiui redimunt & seruant. Et Moldania quidem & Valachia Principes sepius mutantur. Dantur enim ii Principatus plus offerentibus: qui vt promissa exoluant, non tondent sed deglubunt populos, & prouincias ad inopiam redigunt. Vidimus nihilominus superiori tempore bello Persico Turcarum exhausta araria, & thesauros prope omnes consumptos. Proximi annu & Constantinopoli & in vniuerso imperio Turcico auri praecium supra quam credi potest, auctum fuit, ita vt aureus minimus duplo plus quam prius valeat. Ipsa insuper auri & argenti materia sic fuit adulterata, vt Lanizari octafione hinc arrepta, ignem Constantinopolitanae vrbi iniecerint & ingentem non ciuib. solum, sed ipsi etiam Sultano incusserint pauorem. Tunc quidem Sultani nomine a mercatoribus Alepiensibus 60. aureorum millia mutuo erant petita.

Honores vendere.

§. 33. Honores & sententias vendere: ita Vespasianus Suet. cap. 16. Sola est in qua merito culpetur, pecunia cupiditas. Non enim contentus omnia sub Galba vetigalia reuocasse, noua & grauiora addidisse, auxisse tributa prouincibus, nonnullis & duplicasse, negotiationes quoque vel priuato pendendas pro palam exercuit, coemendo quidam tantum vt pluris postea distraberet. Nec candidatis quidem honores reisse tam innoxios, quam nocentibus absolutioes venditare cunctatus est.

§. 34. Diuitum possessiones vendere. Dio in Caligula. Ibi publicum crimen fuit diuitem esse: atque horum possessiones cum venderet ipse, inde multo maiorem pecuniam redegit, quod omnes cohebantur pluris, quam res essent, emere.

CAPVT XX.

Nobilitatis defensio principem potentem facit.

De nobilitate diu disputatum.

§. 1. **M**VLTVM est olim, & nunc agitata quaestio, An potenti principi expediat, nullum sub se habere principem potentem; nobiles & plebeios indistinctos, ita vt sola nobilitas sit honoratum esse a rege. An vero nate nobilitatis ratio ducenda? Nec verbo duntaxat disputatur, sed re ita geritur, vt defensio regnantium ostendit. Vt alia taceamus; in Europa pleraque per nobilitatem aguntur, seruanturque praesertim in Germania matrimoniorum seria distinctio. At e contrario Turcarum imperator omnes etiam supremos Bassas tanquam mancipia habet; nec vlla nobilitas agnoscitur, nisi gratum esse Domino, quae proprie est felicitas serui, cum enim totus sit Domini, & vsu, & possessione, nulla re alia, quam eius beneuolentia niti potest. Haec igitur administratio multis placuit, & tutum est visum, post principem omnes esse seruos, aut pares, nullum ceteri nobilem, quod etiam apud Sinas obtinet. Si non sint nobiles, nullum fieri; si sint, eos sensim in ordinem redigere. De isthoc igitur negocio meam quoque sententiam proponam, vt quid in his imperandi varietatibus sequendum sit, manifestum reddatur.

Nobilitas Turcarum, seruus est.

Nobilitas virtutis est.

§. 2. Non ignoro nullam Appietatem, aut Lentilitatem virtuti anteponendam, nobilitatem esse solam atque vnicam virtutem. Omnes pari sorte nascimur sola virtute distinguimur, vt monet Minut. Qui genus istat suum, aliena laudat. Quod optimum est, idem nobilissimum; imo recte Euryp. πολλοί γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰδὲν κακοί. Multi nobiles sunt improbi. Quare & optime Nazianzenus.

Κακὸς δ' ἀνὴρ, ἀσχύνει μὲν δὲ δυσγενὴς, γένε' γὰρ εἶναι οἱ πολλοὶ στήθε' ὀπίσθης.

Si improbus audias, non, si ignobilis, erubescere, Genus enim quod putatur, sunt illi, qui olim putruerunt; forte qui fures, adulteri, latrones fuerunt. ἔδ' ἴπ' οὐ ταχὺν ποιεῖ τὸ ἐκ τῶν ταχυτάτων φύναι. Neque equum pernitem facit, ex pernicijs ortum esse.

Aureum itaque praecceptum Agapeti est. ἐπὶ πλεονεξίᾳ μὴ εὐνοεῖς ἐναβρεῦναι. πηλὸν γὰρ ἔχουσιν παρτες & γένος ἀπ' αὐτοῦ. καὶ εἰ ἐν ποσὶ εἶναι καὶ βύσσιν καυχόμενοι, καὶ ἐν πένει καὶ νόσῳ τευχόμενοι. καὶ εἰ διαδήματα καὶ κέμενοι, καὶ εἰ δ' αὖ δόματα ποσὶ μένουσι. μὴ τοίνυν εἰς πῆλον ἐρχόμεθα, καὶ οὐκ ἀπὸ δ' αὖ γένος ταπαισιμονόμεθα τερπόμενοι. Maiorum nobilitate ne quis insolentius se effert. Omnes enim limum habent generis auctorem, tam qui purpura & bysso magnifice & gloriose vestiuntur, quam qui egestate & morbis atteruntur: tam ii, quibus diademata sunt imposita, quam qui ante domos positi versantur custodia causa. Ne igitur nos de luteo genere iactemus, sed morum innocentia probitateque, nos venerabiles praestemus & commendemus.

Omnium genus est luttum.

Quanti itaque sit nobilitas non disputo, sed hoc quod ad rem pertinet; An expediat nobilitatem foueri, ad dignitates prouehi, plebeis neglectis, an vero premenda sit, & plebei tollendi in altum, atque omnia adaequanda.

§. 3. In Republica Turcica tantum sunt distinctiones officiorum, cetera seruilia, adeo vt ipse imperatoris concubina non cessantur liberae, & praecipuum robur sit penes infimos. In Romano imperio praeter officia sunt dignitates haereditariae, vel electivae.

Nobilitas imperii Romani.

Ordo nobilitatis est; dux, comes, baro, nobilis. Nobilitatis, inquam, non dignitatis, nec officiorum. Nam imperatorum nobilitas infra ducis esse potest, deinde dignitas electorum, archiducum, non sola nobilitate definitur. Comitum quoque dignitas diuersa est; alij comites simpliciter, alij Marchiones, alij Landgrauij nominantur. Ex nobilibus genere atque etiam alijs equites aurati fiunt, cum in praelio se fortiter gesserunt: tum enim dignitatem illam consequuntur. Ex his Bassones fiunt, virtutum, & potentiae respectu; Qui primo praelio se heroicè gessit, creatur nobilis, qui altero tribunus militaris, ex tertio baro. Deinde comes, Marchio, Landgrauus, dux, rex. Quod vero aiunt, nobilem oportere esse diuitem, equitem etiam stipendio turmam seu nobilium educere, Baronem oportere iurisdictionem infimam, mediam, & bassam, ac quatuor nobilium castra, comitem Marchionem tres Baronias, Landgrauum quatuor baronias in vno ducatu. Vicecomitem, seu principem comitem quinque comitatus, ducem oportere habere quatuor comitatus principales, & cuiuslibet adiunctum comitatu, aut baroniam, id sane non obseruatur. Rex coronatur si quatuor ducatus habeat coniunctos, & in vnoquoque quatuor ciuitates, in quas nemo alius habeat iusvllum, in his vrbibus archiepiscopum vnum, & sub quatuor archiepiscopis, prouincias Episcopales quadraginta. Verum ista nec firmo iure, nec consuetudine recepta sunt. Inter hos non est nobilitatis paritas, Imperator est enim fons nobilitatis e. de decuri. L. Imperatores, & ducum genus maius est comitum. Est igitur nobilitas quasi nobilitas, nimis arcte a Graecis dicta εὐγενεῖα, quod bene nati sint; nam nobilis esse potest, qui virtute primordia stirpis suae dedit, qui honores gessit, qui sine administratione per honorarios codicillos illam consecutus est. Nec enim in posteris est solummodo, sed crebro in prima radice melior; nam posterius interdum, nihil à maioribus, quam imagines habent, virtutum, & rerum inanes; quorum nobilitas poetarum veterum vilior alga est.

Imperator ex stirpe ignobilis nobilis facit.

§. 4. Agendum hoc est Regibus & principibus, vt minores principes, regulos, comites, nobiles habeant, quorum opera domi, militiaeque perpetua vrantur; hoc est enim firmum Reipub. praedidium; cum in-

Nobilitas fouenda, & augenda est.

ter Regiam apicem, & ancillæ filium, quæ sedet ad molam, non est medius quisquam, magnus hiatus est, hosti opportunus. Rationes meæ sunt, ut in his esse possunt, validæ.

*Respublica
bene insti-
tuta nobili-
tate colue-
runt.*

Prima ratio. Rerum publicarum recte conditarum omnium ea forma fuit, ut nobilitati esset sua dignitas. At in Republica versanti, & deque ea disputanti magnum hoc momentū esse oportet; non enim Platoniam, aut Idealem ciuitatem instituo, sed qualis esse potest, & solet.

Certe num. 1. 16. lego ex recenti seruitute nobilissimos principes קריאים *vocatos*, & Deut. 1. 15. nobiles נדברים *notos*, itaque hinc statim nobilitas in eadem gente, domoque. Samuel 1. Reg. 9. 6. vocatur vir נדב *et doctus* נדב honorabilis, grauis. Sic Psalmo 149. 8. Job. 14. 21. Prouerb. 31. 23. Isa. 3. 5. & 5. 13. & 34. 12. Jerem. 39. 6. quin & Joseph nobilis decurio laudatur Mar. 15. 43. εὐσεβήμων βαλάντις. Verum de nomine ne laboremus. Quoties audimus principes Israël, viros nobiles & optimates intelligere oportet. Erāt & principes Ægypti magna dignitate, pariq; modo Persarum, & ante eos Medorum. De Romana Republ. clarius est, qui sero in Monarchiam desijt. Nabuchodonosor annos septem bestiarum vitam agens tandem restitutus est regno, optimates mei inquit, & magistratus requisierunt me, Dan. 4. Seruili non erant ingenio, qui annos septem amisso rege omnia gubernarunt. De Medorum Monarchia clarissime constat ex Dan. cap. 6. v. 12. & v. 15. præcipue v. 7.

*Europa no-
bilis.*

Macedonum regnum multos, & magnos principes, nobilesque habuit. Nec fere aliter in Græcia libertatis amantissima regione; Athenis ut refert Plutarchus in Theſeo ea distinctio fuit, nobiles enim ἱπποκρίτες *nominauit*, & magistratuum gerendorum curam demandauit. Nobilitas Germaniæ vnicum Cæsaris est fulcrum, & si cōcordia esset, ex ea aliquot nullia equitum selectissimorum celeriter habere posset. Eoque res deuenit, ut sine nobilitate nihil etiam principes possint. In Gallia bella gerunt, Rempublicam administrant, in Hispania eorum sunt etiam præcipuæ in tam vasto imperio partes, creuitque mirandum in modum nobilitas tot ducum, comitum, præfectorum, nauarchorum officijs aucta, ut nisi noui nobilitate donati in subsidium venissent, antiqua nobilitas tantis negocijs impar fuisset.

Britanniæ regnum etiam nobilitatis labore, curaque stetit, sed præcipue Poloniæ, ubi nobilitas populossima est, & magnæ in Republica eminentiæ. Venetos fouere nobilitatem non est mirum, Aristocratiam enim habent. Nulla nauigatio sine nobilium comitatu permilla. *Lege Venetorum* inquit Gregor. Tolos. 4. cap. 2. §. 13. etiam ab antiquo ad hæc vsque tempora seruatum, ut Galearia seu triremis cuiusque nauarcha, octo nobilium pauperum filios, ad quamcunque partem proficiscatur, cum septuaginta nummorum aureorum stipendio secum ducat. Illisque victui necessaria, qualia nobiles habere debent, impertiatur: simul ut aromatum libras quatuor mille sine nauali alicuius solutione & gratuito, singulis importare permittat. Veruntamen per senatus suffragia, hi nobiles de multis pauperibus supplicibus deliguntur.

Magnum est hoc nobilitatis priuilegium, quare hoc magis mihi mirum videtur apud eos nobiles esse pauperes, tanta ditescendi occasione.

*Quod om-
nes bonæ
Respubl. tu-
entur, bo-
num est.*

Hæc cum ita sint, defendenda, augendaq; est omni modo nobilitas, nec ferendi politici, qui aliud suggerunt, boni enim viri est, eum statum Reipublicæ, qui est, tueri, & si non esset, suadere.

*Tyrannis
exosa nobi-
litas.*

Secunda ratio. Ex contrario si mores Rerum publicarum turbatarum, aut pereuntium aspiciamus, ijs odiosam nobilitatem animaduertemus, qui tyrannidem vnius, vel confusionem multorum moliantur inducere. Eminentes spicas tollere vetus est scitum

tyrannidis. Nec Turcæ maior cura est, quam ut in occupatis regionibus nobilitate excindat. Romæ quoque quilibet Republica seditiones mouerunt, id institutum habuerunt, ut nobilitatem opprimerent. Postquam vero lege regia ad vnius arbitrium res illa recidit, nemo in senatum crudelior fuit illis, qui tyranni importunissimi extiterunt. Adeo ut quosdam impetus cœperit vniuersi senatus delendi. Causa cur tyrannus oderit, princeps legitimus amet nobilitatem, est duplex, ex diuerso vtriusque proposito. Tyrannus metui vult, alios esse seruos æquum arbitrat, iuxta illud; *memento tibi omnia, & in omnes licere*. huic præcipue obstitit nobilitas, quam ideo timet, & veretur. Neque enim generosæ mentes, & militares feruliter subici patiuntur; neque potest tam impudens esse tyrannus, ut de sceleribus apud graues, prudentes, magnates non erubescat. Cum autem esse nolit, quos vel timeat, vel erubescat, nobilitate è medio sublatam cupit. Princeps vero, quia iuris & æqui seruatur esse decreuit, nobiles viros amat, tanquam fidelissimos iustitiæ aduocatos, in conspectu Perorum, Thraſearum, Corbulonum, Senecarum gubernationem ponit; Deinde ipso principatu honorificentius esse ducit, administrationem suam tantorum virorum testimonio, atque approbatione fumari. Hinc magnificæ, & regia illa edictorum præfatio. De principum agnatorum, nobilitatis, & consiliariorum notorum iudicio statuimus &c. Nero Senecam occidit, ne vitam turpem magistri verecundia oneraret. Magna auctoritas viri boni & magni apud animum deploratum. Famam humani generis præsentem, & posthumam contemnere Nero potuit, conscientiam suam suppressere, adulationes vitiatorum omnium lenas audire dederat, vni Senecæ erubuit.

Ratio tertia. Bello nobilitas necessaria est; sine ea nec fides, nec fortitudo, nec prudentia bellica præstat. Non nego aliquos esse, qui bello pepererint sibi nobilitatem, sed nego diuturnum id esse; Republica autem ita instituenda est, ut inter magnorum, mediocrium, infimorum, magna, & mediocria vitia consistat, nec vnius calu pereat, quemadmodum factum est Thebis mortuo Epaminonda.

Fidem supra omnes gentes patriæ præstiterunt Romani, idque tribunorum, primipilariū, equitum, hoc est, nobilium, præsidio. Seruiles dexterae haud facile toto periculo pro Domino pugnant. 1. Non acquiritur illis quicquam, nisi forte tolerabilior seruitus. 2. Crebro etiam duriorum Dominum experiuntur, cum victoria superbiens, eos quorum vulneribus vicit, acerbius & contumeliosius tractat. 3. Qui seruiliter educati sunt, nec nominis, nec generis bonum æstimant, facile igitur metu vel precio vincuntur. Itaq; hæc in re vel maxime Turcæ errant, omnes enim metu, nemo spe, aut caritate Domini pericula subit. At vero ubi nobilitatis decus in dignatione est, accipiendæ, cōseruandæ, augendæ prolapia cupiditate in mortem ruunt. Documentū huius rei præbet, quotidiana nobilitatis vitiosa illa quidem, sed ad id quod propolui ostendendum, apta pugnacitas. si nobilem mendacem, infidelem Domino suo, nebulonem, imbellem, timidum, fugacem appelles, sine mora ad duellum prouocant, gladio litem secāt, prouocatum tergiuersari turpe ducunt. Vnde hoc tantum famæ, honorisque desiderium? Ex auita institutione, vitæ militaris disciplina, in qua summum flagitiū est perfidia, & timiditas. Hinc illi in acie stare; ordines deferere, læsis non succurrere contra honorem suum arbitrantur, maiorque est decoris, & fidei, quam vitæ cura.

Fidem igitur nobilitas seruat, ac proinde fortis est; nam

*Perditiſſi-
mi tyranni
magistratus
reuerentur.*

*Leges in
muniſunt,
non vero in
raro cōim-
genibus.*

*Seruorum
infida & im-
firmama-
nus.*

*Furtis, mē-
dacijs, fla-
grijs affecti
serui, non
facile impe-
riculo sunt
constante.*

Fides, & fortitudo in nobilitate.

nam duo illa in bello semper sibi mutuo harent, nemo rebus in arduis, inter volantia pila fidem seruat, nisi fortis, & nemo fortiter pugnat, supraque pericula fertur, nisi cui constitutum est, fidem, & insurandum nec morte propolita violare.

His igitur rudimentis instituta nobilitas prudentiam militarem etiam præ cæteris excolit, est enim hoc eius quasi opificium, quo Reipublicæ nauat operam. Nec aliud sentiunt qui nostro sæculo cautissime gerere bella censeantur Hollandiæ status, bello enim nobiles, barones, comites, præficiunt, cum tamen cõsiliū domesticum & rogatum hominum plebeorum habeatur.

Qui infolentes, & auari.

Ratio quarta. Qui subito, nulla spe nobilitatis permanentis ad dignitates perueniunt, facile insolentia efferuntur, & impotenter in omnibus se gerunt, opes tanquam semel data occasione colligunt cupidissime; nec ulli ditiores libertis fuere. Crassus diues habitus est. Ex eadem gente, inquit, Plin. l. 33. c. 10. M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri possit. In agris suis septentium CLO CLO. possedit, Quiritium post Syllam ducentis. Nec fuit satis, nisi totū Parthorum esset aurum: atque ut nomen quidem optimi occupauerit (iuvat enim insectari inexplabilem istam habendi cupidinem) multos postea cognouimus seruare liberatos opulentiores, pariterque res Claudii principatus, Pallantem, Callistum, & Narcissum. Ecce ditissimi Romanorum serui, unde nisi ex rapinis? Multi tales fuere, sed hoc peculiare sub vno Claudio tres fuisse, & hoc agente Claudio. De Rustio, Eutropio, alijs non est opus quicquā agere. Hodierna tempora nobis ignobilium census per administrationem Reipublicæ auctos ostendunt. Quæ res ut intelligatur, proponam verba Politici nostri temporis famosissimi Ioannis Barneueltij Statuum aduocati. Is in Apologia ita scribit. Ex his quinq; regis legationibus & tractatibus accidit, ut prædicti Reges statibus vniuersim plus ducentes & quinquagescentena millia librarum suppeditarint; quarum solutione confederata prouincia (me potissimum augurante) absoluta sunt, obligationesq; cum oppignoratis ciuitatibus atq; arcibus restituta.

ignobiles quomodo censum augent.

Et cum adirem officium meum, summis laboribus ac difficultatibus Domini Status Hollandiæ & Frisiæ Occid. constare vix poterant decies octies centena, fl. millia annue, pro generalitate ad belli onera sustinenda: ac in presens soluunt plus minus bis & quadragescentena millia librarum. Sed hic notandum est, quod grana mina belli in his 32. annis, quibus in officio fui, tanta tamq; enormia fuerint, ut necesse vobis sit in presens amplius pro oneribus solius Hollandiæ & Frisiæ occid. comparare, quam anno 1586. potuerit colligi, tam pro oneribus generalitatis, quam pro Hollandiæ & Frisiæ orientali in particulari; videl. plus quam duos miliones fl. in annos singulos. Qui nihilominus præter antedicta 42. centum millia librarum à Patria prouentibus deducuntur & soluuntur. Et quamuis expediat magis gratiare Patriam quam amittere: sapienter tamen ac prouide animaduerte oportet (quemadmodum Collegia summi & Prouincialis Concilij & rationem præfeci anno 1604. scripto docuerunt) dum vltra prouentus exerceant onera. Prouincias necessario tandem ad extremam delabiruinam. Et si postremis decem annis pares sumptus facendi fuissent, cum is qui annis decem præcedentibus facti sunt: facile solius Hollandiæ & Frisiæ occid. onera hoc tempore circa quatuor miliones florenorum annuatim absumpsissent. Cui malo (alijs multis præiis aq; ac incognitis periculis ac molestis præteritis,) induciarum confectio medicinam adhibuit.

In his ergo patriæ difficultatibus, tantoque ære alieno, an existimas eius rectoribus opes esse immunitas? Vide quid ille narret.

1. Tantum se bonorum habuisse ab vxore, ut facile se alere posset.

2. Ex praxi sua quatuor millia annuatim initio accepisse.

3. Hereditariis accepisse 400. iugera Hollandicæ, duo millia flor. annua.

4. Iugera quadringenta siccatis paludibus lucri fecisse.

5. In societatem Indicam paulo amplius quingentis millibus contulisse.

6. Possessiones coemisse. Animaduerte dum onera patriæ crescunt, celerissima diuitiarum incrementa. Sed in illo tolerabilia ista fuerunt; aduerte quæ sequuntur. Quod si modo complacitum vobis fuerit in subditorum vestrorum bona inquirere, eaque censere. id ego quidem facile patiar. Compertum namq; habeo, quod ii, qui in Generali censu anno 1599. bona sua vniuersa non plus quā quinquaginta aut sexaginta millium florenorū aestimabant, nunc sese duplo me opulentiores esse iactare audeant: qui eodem tamen eodem anno, deteriore affectu iis me annumerarunt, quibus summa contributio persoluenda; & ducentis florenorum millibus censuerunt.

Ecce vide quid faciunt ignobiles, in extrema patriæ necessitate, quantas opes cumulent, ut mirum non sit pacem odisse, quibus bellum tam felix est.

Primo Barneueltij bona Anno 1599. aestimata sunt 200000. aliorum quorundam 500000. aut 600000. at illi nunc duplū possidēt, nempe 400000. Barneueltij bona fuere anno 1599. ducenta millia: iniq; ut ipse queritur aestimata. Interea sibi parauit multa, ut anno 1618. haberet. præter agros quingenta millia. At alij qui ann. 1599. habebāt 50000. vel 60000. decem & septem annorum spacio tantum compendij fecerūt, ut duplo ditiores essent Barneuelcio. Hoc est, haberet mille sexcenta iugera, auri millionem, &c. nam plura habuit Barneuelcius, quam agros, & aurum Indicū. Ecce non vni, sed aliquot talibus tantas opes contulit patria, hoc gubernando consequuntur. Atque hæc est præclara illa libertas patriæ, quæ exhaurit ciues, implet agentes in rebus, & pro rebus. Quia enim occasionem mercatores patriæ acceperunt, negotiati sunt, postea alibi caute viçturi.

Quintaratio. Quemadmodum cæterarum in ciuitate artium, ita patriæ defendendæ ab hoste, gubernandæ domi, componendæ quædam debet esse professio, certumque genus hominum, quod in tam præclara exercitatione versetur, hoc est, nobilium, qui ad bella, & regnandi disciplinā erudiantur. Hanc fuisse perpetuam nobilitatis exercitationem omnia monumenta nos docent.

Hinc enim nomen Germanicum, ut vocentur nobiles Vom Adel, de aquila, quod victrices aquilas, Romanaque signa sequatur, & Knaben von Schiſſ/ à Scuto nomen habent, quin præcedentibus sæculis simpliciter milites vocabantur. Militia porro duplex, armata, & pacior, quæ immunitates, & priuilegia habentium fuit. Ne vero pacis tempore bellicæ exercitationes intermitterent, variis ludis belli simulacra cibant, hastiludia, seu torneamenta vocabant, quæ propter pericula crebro vetita sunt, si exercitationem sine sanguine habeant, prodesse & excitare viriles animos possunt. Dici nec potest, nec credi, quantum res illa nobilitatem iuuerit, cum præsertim honestissimæ leges certantium ponerentur. Excluebantur enim vno verbo nobiles improbi.

Nobiles olim dicti milites.

1. Christianæ religionis hostes, aut prauaricatores & apostatæ. 2. Qui reus maiestatis fuisset. 3. Qui virginem contuprasset, aut viduam, & adulteri. 4. Periuiri Chirographorum, pactorumque inficiatores, proditores, desertores militiæ, auctores fugæ in prælio. 5. Iniuriosi in subditos, oppressores, homicidæ. 6. Sacrilegi. 7. Viduarum & pupillorum spoliatores. 8. Latrones, Piratæ, Sicarij.

Hastiludiorum leges.

Eec 4 9. Au-

Nobilitas
ad subitos
impetus
parata.

Opus est
bello nobi-
litas.

In vno cor-
pore nō de-
bet consistere
salus Rei-
publicae.

Turca occi-
so nemo re-
sistit.

9. Auctores nouorum veſtigalium. 10. Qui Reipubli-
ca detrimento fuiſſent. 11. Feneratores, merca-
tores, opifices. 12. Qui nobiles à proauo non fuiſſent.
Qui aliquo iſtorum vitiorum notati eſſent, ad ludi-
cia praelia non admittebantur, & magnum erat au-
daciae, iactantiae, cupiditatum frenum, illique inter
nobiles quodammodo infames erant; hinc ignomi-
nia notati, Schelmen dicebantur. Et ordinem amit-
tebant. Quam autem ad deſenſionem patriae faciat,
eiufmodi diuites, prudentesque complures eſſe, qui-
bus ingenta ad bellum indoles, domeſticis praece-
ptis, hortamentis, exemplis, æqualium ſtudiis ad iu-
ſtitiam, fortitudinemque prouehatur, tum ſolum
apparet, cum ad ſubitos impetus in promptu miles
eſt.

Sexta ratio. In bello ſumma eſt opus auctoritate,
cuius cauſa eſt prima, quia difficillima præcipiuntur,
tenere locum in acie datum, quamuis certo mors in-
cubet, conſcendere vallum contra rela hoſtium, ire
in mortem. Altera, quia magnà opus eſt auctoritate,
vt imperetur armatis. Tribuni vero, centurionesque
nobiles plus auctoritatis habent, tum quia clari ſan-
guine, tum quia tota familia in dignitatibus, & cum
imperio domi verſatur, ab illis etiam plura ſperan-
tur, vt felicibus, qui vero conſerui ſunt, qui omnes
ex eadem cella, vel ergaſtulo prodierunt, contuma-
cius parent æqualibus, vel etiam in pace ſubiectis.
Hanc ob cauſam nobiles duces, & centuriones fere
conquirunt. Scitum eſt illud, tempore Claudij. Nar-
ciſſus Claudij libertus, quem Roma venerabatur,
Senatus pauebat, cum ad milites tumultuantes mit-
teretur, iam in concionem aſcendenti acclamatum
eſt; 10. Saturnalia, tanto plus libertatis erat in caſtris,
quam in curia.

Septima ratio. Cum in Republica poſt principem
nemo eſt in dignitate, aut aſtimatione, in vno corpu-
ſculo tota Reipublica periclitatur; id autem contra
rectam rationem eſt. Perſicum imperium iam ſene-
ſcens nobilitatem corruptam habuit, omnes ſeruos,
omnes adulatōres, quocirca occiſo Dario, & qui-
dem à ſuis, nemo reſiſtit; Macedonicum vero, quod
multos Alexandros haberet, diu ſtetit, & multos Re-
ges habuit, quorum ſinguli potentes fuerunt, & niſi
inter ſe commiſſi vires attriuſſent, ſinguli æquare
Alexandrum potuiſſent. Ipſe Machiauellus nobili-
tatis inimicus, ſatur occiſo Turcarum imperatore,
nullum ſuper eſſe timendum. Et res ipſa docuit; ca-
pro Baiazeſe à Tamerlano, nemo Turcarum de im-
perio reſtituendo ſpem concepit; nam Calepinum
Baiazeſis filium, cum profugiſſet Hadrianopolim,
non Turcæ, ſed Græcorum proceres inſenſi Palæo-
logo Imperatori ſuo armis, pecuniâ, milite inſtruxe-
runt, & imperium in exitium patriæ, opprobrium-
que deſperanti dederunt. Erat tamen eo tempore
aliqua cura nobilitatis, quæ nunc, cum omnes pari-
ter ſeruiunt, nulla eſt. Sed quia veteres hſtorie mul-
tum auctoritatis habent, geſta Philippi Macedonis,
& Alexandri magni Politicus perpendat. Philippus
nobilitatem coluit, & ornauit, inde comitati filium
ſunt in Aſiam, & Philippum tamen prætulērunt;
nam cum nobilitatem ſuam Alexander reieciſſet,
Perſique & victis gentibus ſe applicuiſſet, multis pe-
riculis iactatus eſt, deque eius morte principes & to-
ta nobilitas lætata eſt; nec dubium eſt, ſi diutius illis
moribus vixiſſet, deſerendum, aut occidendum fuiſ-
ſe. Quanquam prior hſtoriarum auctoritas Baby-
lonio veneno periſſe tradat, & conſter matrem eius,
filium, & totam familiam ab eius principibus inter-
fectam, quia iam viuos eos irritauerat.

Octaua ratio. Machiauellus regnum ait facilius
teneri, in quo omnes ſeruiunt. Sed regnum in quo
Principum eſt multitudo facilius occupari. Verum

eius diſcurſum proponere, & examinare oportet,
miſcet enim vera falſis, & tandem omnino fallit. c. 4.
in principe. Admiratione quis duci poſſet per ſpeciem diffi-
cultatibus, qua haberi videntur, quo ſuper partum im-
perium retineatur, vnde ortum habuerit, Alexandrum Aſia
paucis annis potitum eſſe, vixque illo occupato diem obiſſe. vnde
merito videri poterat, totum illud imperium ad deſectio-
nem fuiſſe prolapſurum, cum tamen eius ſucceſſores ſibi illud
conſeruarint? Nec vlla alia difficultate ad illud tuendum la-
borarunt, quam quæ inter ipſosmet præcipua eorum ambitio-
ne orta fuit. Reſpondeo principatus, quorum memoria adhuc
extat, duplici, eaque diuerſa ratione adminiſtratos inueniri;
aut vnus principis arbitratu, cuius gratia & permiſſu reliqui
omnes, qui conditione ſunt ſerui, ad regni procurationem vel-
uti adminiſtri adhibiti fuerunt; aut principis & procerum
conſilio, qui non gratia, ſed ſanguinis vetuſtate, illum gradum
obtinuit. Huiusmodi proceres diſtiones habent, & qui ſibi ſub-
iiciuntur, populos, qui eos vt dominos agnoſcunt, & quodam
naturali erga eos afficiuntur amore. Qui vnus principis du-
ctus, ſeruatorumque miniſterio reguntur principatus, illi prin-
ceps præeſt maiori cum auctoritate. Nemo enim in tota pro-
uincia eſt, qui præter illum ſuperiorem alium cognoſcat, & ſi
alii morem gerit, id tanquam adminiſtro, adſcriptoque facit,
nec ſunt illi villo peculiari amore affecti. Horum duorum regni
procurandi generum exempla in hac noſtra tempora inci-
dunt. Turca & Galliarum Rex: Turca tota imperii ſumma pote-
ſtas, vnus principis nutu regitur, ceteri conditione ſerui; atque
in præſecturis diſtributo regno, diuerſos allegat adminiſtrato-
res, & pro animi ſui voluntate abrogat, ſubrogatque. Verum
Galliarum Rex poſitus eſt in medio antiquæ multitudinis do-
minorum, quos agnoſcunt populi eius ſubiecti, & beneuolen-
tia complectuntur: retinent ſuam auctoritatem, quam ab eis
Rex ſine periculo auferre non poteſt. Quocirca vtrumque eius
generis ſtatim, quo animo reputat, ut Turca imperium occupa-
turus difficultates offenderet: ſed eo deuicto, nulla eſt difficultas,
quomodo retineatur. Difficultatem cauſe, quo minus Turca
imperium occupari poſſit, in eo vertitur, quod qui illud oc-
cupare molitur, hand poteſt à principibus illius regni eo vocari,
nec in ſpem adduci, eorum, qui illum circumſtant, deſectione,
inceptum facilius effectum reddere, quod ex his, quas attigi ſu-
perius rationes proficiſci videtur. Nam cum omnes ſint eius
mancia, eique deuincti, multo difficilius corrumpi poſſunt;
& ſi quidem corrumpantur, parum tamen inde vtilitatis
ſperari poſſet, cum ipſi ex allatis ſuperius rationibus populos
ſecum tractare non poſſint. Quapropter Turcarum Impera-
tori bellum illaturo cogitandum eſt, collectū ſe illum inuentu-
rum, & magis propriis viribus, quam aliorum ſtudiis, & ſe-
ditionibus ſuperandum, eo autem debellato, acieque ſuſa, ſic
vt exercitum reſicere nequeat, nihil eſt, quod præter principis
ſtimpem ſit præterea timendum: quia extincta, nemo eſt (ceteri
apud populos fide & auctoritate carentibus) de quo quisquam
timeat reliquum. Et quemadmodum ante partam victoriam
nullam in eis ſibi aſciſcendis poterat victor ſpem collocare, ita
ſecundum illam, non eſt quod amplius de illis reformidet. His
contrarium accidit in regnorum (vti Galliarum eſt) procura-
tore. Facili enim tibi aſciſcendi aliquem ex primariis regis
parebit in illa acceſſus: in eis enim nunquam non inueniuntur,
qui animo offendiſſe res nouas moliri ſtudeant. Hi ob eas, quas ſu-
pra diximus, rationes, ad illud regnum viam tibi aperire, atque
victoriam expeditiorem reddere poſſunt, ad quam poſtea tuen-
dam difficultates iam adſunt pene infinite, non modo cum eis,
qui tibi fuerunt auxilio, verum & cum illis, quos oppreſiſti.
Non ſatis habet principis ſanguinem extinxiſſe, ſuperſunt et-
iam primarij illi, qui nouarum ſtatus conuerſionum authores
ſeſe conſtituunt, quibus cum ſufficere non poſſis, nec extingue-
re, illud, quandocunque ſeſe occaſo obtulerit, amittis. Nunc ſi
ſpecies quo in genere adminiſtrationum fuerit illud Darii re-
gnum, Turca admodum ſimile inuenies. Hac de cauſa Alexan-
dri oportuit in illud totum imperium facere, eumque caſtris
exuere. A qua victoria mortuo iam Dario, ſecurum illud im-
perium, ex his, quas ſupra collegimus cauſas, ad eum conceſſit.
Succeſſores vero eius, ſi concordare fuiſſent, plane otioſi eo fui-
plane

Turca im-
perium ſe-
mel occu-
patum, non
facile amir-
titur.

Serui
brui
tores, q
nobiles

Princip
mutari
Remp.
periculo
vix cupi

plane poterant: nam nihil cum multis in eo subortum est, quam quod ipse inter se excitarunt. Verum qui instar Gallici regni se constituti sunt dominatus, fieri non potest, ut tam pacate possideantur. Hinc crebra Hispaniarum, Galliarum & Græciæ à Romanis defectiones, quod frequentiores essent in illis principum ditiones, quarum memoria quamdiu viguit, de earum possessione Romani semper incerti fuerunt. At potentia & diuturnitate imperii deleta earum recordatione, securumius possidendi securi habuerunt. Atque deinde secundum quam quisque illorum sibi in partis provinciis peperisset auctoritatem (etiam inter se bellum gerentes) illarum quoque partem secum trahere poterunt: idque propterea, quod veteris principis sublata stirpe, quam Romanos agnoscebant neminem.

Regnum igitur in quo præter Regem sunt omnes serui, opprellum semel ab hoste, non potest in se libertatem vindicare: quod fateatur Machiavellus, ac Respublica ita instituenda est, in qua habeat fortuna recursum. Quod vero ait difficilius occupari in eo fallitur.

Regna in quibus multi principes difficulter capiuntur.

Servi trahunt ad heredes.

Hungarica nobilitas regnum tuatur.

Servi crebris proditoribus, quam nobiles.

Principes mutari temp. cum periculo vix cupiunt.

Hæc enim iam olim experientia refutavit. Nam regiones in quibus multi principes fuerunt, non inodo difficilius alieni imperii iugum reuenerunt, sed etiam recipiunt. Romani Gallias per multos annos oppugnavant, & particiatiim, nunchac, nuncha illa parte captâ, cum reliquis bella gesserunt; at Antiocho victo celeritè præcipuam regni partem occuparunt, & trans Taurum regnare iusserunt. Idem quoque in Græcia contigit, nunc Aetoli, nunc Macedones, alias quoque sub Nabide suo Lacedæmon restitit, in Asia victo Antiocho, serui eius, domini postterga sequentis ierunt, serui degeneres. Neque multum referre putant cui seruiant, imo mutationem dominorum optant, mitigationemque seruitutis sperant. Turcatum etiam vices victo sæpe imperatore, non tamen Græciam nisi longo tempore occuparunt, quod principes, etsi non satis, multum tamen resisterent. Nonne idem in Vngaria videmus, cuius maiore parte Turcis prodita, & subacta iam olim, reliqua tamen portio principum, & nobilium virtute resistit, imo & libertatem tuetur, hos tolle, ceteri nil magnæ laudis agentes, pacti angelos suos, & adiculas magni illius imperij accessio fient.

Quinquam vero modis omnibus eos tyrannus tentauerit, nunquam tamen vicit.

At facile est vnum aliquem principem in suas partes allicere, quod non est in monarchia Turcica expeditum. Hoc igitur sentit, ubi nobiles sunt & principes, facilius proditores esse & rebelliones.

Mihi vero secus videtur, nisi Rex in tyrannum mutetur. Nam hominem scituli ingenio, avarum, nullo vinculo principis suo iunctum ad illa facinora impelli posse ratio ostendit, & exempla docuerunt. Quis pecunia Pyrrhum vendidit? quis Darium vulneravit? Quis tot imperatores perdidit, nonne ut plurimum scituli? Taceo eos qui cruda adhuc feruitute ciuitatis ab ultimis Romanorum occisi sunt. Imperiorum proditores sunt, Eutropij, Rufini, Stilicones, Andragathij, omnes serui, & ceteri, aut barbari sordidissimi.

Hen! heul quam breuibus pereunt ingentia causis, Imperium tanto quaesitum sanguine, tanto Seruation, quod nulle ducum peperere labores, Quod tantis Romana manus contexit annis, Proditor vnus iners angusto tempore vertit.

Proditus est Priamus, proditus Agamemnon, sed à vi-liadultero, Pompeius magnus ab Eunuchis, Roma à Curione, eadem ante à puella, Affuer? ab Eunuchis, Proditores fuere Phryno, & Philocrates Lenones, Eurybatus prodidit Regem Persarum, nam pecuniam ab eo acceptam Cyro tradidit. Vulpinam induere animorum sordidiorum est, nō principum; nam mul-

tas habent serui causas infidelitatis, principes vero paucas. Quod si exempla perpendamus, principes, vrbes, regna ferè à sordidis, & obaratis prodita intellegimus.

Rebellare & tumultuari non facile possunt, qui sūt omnino obnoxij dominis, ubi imperiū est despoticum; quia desunt vires, nulla est eorum auctoritas, hac itaq; sola ex causa, periculū creati potest illi regi, qui multos habet & potentes principes. Verum si pericula periculis, præsidia præsidij comparare libet, præferendam principum & nobilium multitudinem intelligemus. Imperator, aut Rex vnus est, eius salus, securitas, potentia in aliorum animo, viribusque consistit, estque semper in aliorum potestate; si principes ex genere lectos non habet, est in potestate infimorum, quorum armis cingitur, qui facile mouentur, & spectant res nouas, quibus ibi fas, ubi maxima merces. Si principes habet, nihil audent infimi; facilius autem insidia principum cauentur, quam infimorum, hinc videmus, quamuis fuerint varij in Gallia motus, regum tamen patricidas fuisse homines viles, nec à principibus subornatos. Denique caueri possunt insidie; si moderate, si æquabiliter regantur, si non vni omnia committantur, qua de re alibi actum.

Rex semper est in aliena manu, vel principum, vel infimorum.

Nona ratio. Vltimo non omnem nobilitatem, sed gnauam, integram, incorruptam ad societatem imperij adsciscendam cenſeo. Atq; hoc esse firmamentum imperij, quodque aduersum antiquum nobilitatis malum, superbiam, & iniurias plurimum valet. Nam reuera vt arbores ætate deficiunt, ita quædam familie longo æuo, nec vigorem, nec puritatem retinent, nec præter insignia quicquam habent, leues, maridi, stupidi de fortibus & magnis crebro nascuntur. Ea facies erat Romanæ nobilitatis cum Marius peroraret Salut. in Iugurtha. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis: quam rem nobilitas ægerime tulit. Quaso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud re negotium mutatis, hominem veteris prosapia, ac multarum imaginum, & nullius stipendij, scilicet, vti in tantæ ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officij sui, ita plerumque euenit, vti, quem vos imperare iussistis, sibi imperatorem alium querat. At ego scio, Quirites, qui postquam consules facti sunt, acta maiorum, & Gracorum militaria præcepta legere coperint, homines preposterij. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re, atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem nouum. Quæ illi audire, & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gesti, quæ illi literis, illa ego militando didici. Nunc vos existimate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt notitiam meam, ego illorum ignauiam. Mihi fortuna, illis probra obieciuntur, quanquam ego naturam vnam, & communem omnium existimo, sed fortissimum quemq; generosissimū esse, ac si iam ex patribus Albini, aut Bestia queri posset, me ne, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, se se liberos quæ optimos voluisset? Quod si iure despiciunt me, faciant idem maioribus suis, quibus vti mihi, ex virtute nobilitas cepit inuident honori meo, ergo inuideant labori, innocentia, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi honores vestros contemnunt: ita hos petunt, quasi honeste vixerint. ne illi fassi sunt, qui diuersas res pariter expectant, ignauia voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleriq; oratione maiores suas extollunt: eorum sortia facta memorando clariore effe putant: qd contra est. nam quanto vira illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. & pfecto ita se res habet: maiorū gloria posteris lumen est; neg. bona, neg. mala eorum in occulto patitur. Huius cerei ego inopia patior, Quirites. Verū id qd multo perlarus est, meam me facta mihi dicere licet nūc videre, quam iniqui sint, quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea

Nobilitas educanda, & virtute formanda.

idem and

mea

mea non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est: quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam, & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, cum omnibus locis me, vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio ledere potest. quippe veram, necesse est bene praedicet: falsam vita, moreque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem & maximum negotium imposuisti: etiam atque etiam reputate, num id poenitendum sit. Non possum, fidei causa, imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, praeterea cicatrices aduerso corpore. haec sunt imagines, hac nobilitas, non hereditate relicta, vt illa illis, sed qua ego plurimis meis laboribus & periculis quaeui. Non sunt composita verba mea: parum id facio: ipsa se virtus satis ostendit: illius artificii opus est, vt turpia facta oratione tegant. neque literas Graecas didici, parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem, doctoribus nihil profuerunt. at illa multo optima Reipub. doctus sum, hostes ferire, praesidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam, byemem, & aetatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. his ego praeceptis milites hortabor: neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. hoc est vtile, hoc ciuile imperium. namque cum tute per molliem agas, exercitum supplicio cogere, hoc est, dominum, non imperatorem esse. hac, atque talia maiores vestri faciundo, seque, remque publicam celebrare. quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum amulos, contemnit; & omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, a vobis repetit. ceterum homines superbiissimi procul erant. Maiores eorum omnia, quae licebat illis relinquere, diuitias, imagines, memoriam sui praclaram: virtutem non reliquere, neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me, & incultis moribus aiunt; quia parum scite conuiuium exorno, neque hystionem vllum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. quae mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & aliis sanctis viris ita accipi munditias mulieribus, viris laborem conuenire, omnibusque bonis oportere plus gloria, quam diuitiarum esse; arma, non suppellectilem, decori esse. Quin ergo, quod iuuat, quod carum est, amant, id semper faciant: ament, potent: vbi adolescentiam habuerit: ibi senectutem agant, in conuiuio, dediti ventri, & turpissima parti corporis: sudorem, puluerem, & alia talia relinquunt nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non ita est, nam vbi se flagitiis dedecorare turpissimi viri, bonorum pramiae creptum eunt. ita iniustissima luxuria, & ignauia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil efficiunt, Republica innoxia cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia posebant, respondi; pauca de Republica loquar.

Qua nobilitate vtendum.

§.5. Hanc nobilitatem non probo. nam improba est; sed Marianæ nostri consilium sequendum statuo. Erit quidem, inquit ille l. 4. c. 4. me auctore, Principi tuenda nobilitas, & aliquid posteris dandum ob praclaræ maiorum merita: ita tamen, si ad natalium splendorem mores haud dissimiles, industriam, virtutemque ipsi adiecerint. Ignaua nobilitate nihil turpius: qui maiorum gloria tumidi opes hereditate susceptas in nequitia & leuitate consumunt: confisque auorum laude, ignauia ipsi atque socordia marcescunt, pramiae virtutum virtus adipisci contententes, virorum fortium locum per nobilitatis fucum segnitia & inertiā occupare, dupliciter adeo repellendi à Principe geminoque probro fecti, quod & se turpitudine contaminant & generis claritatem turpitudine maculant. quod enim clariore aui extiterint, eo maiori odio digni sunt, qui splendorem nobilitatis libidine & impuritate obsecrant. Ac praesertim tanta temeritate & amentia plerique ex eo numero sunt, vt nominibus inanissimis superbientes, obscuro loco natos, quamuis industriis, fortes & strenuos, ita pra se contemnant, vt homines esse non putent.

multisque honoribus affecti maiora expetunt: omniaque pramiae virtuti debita, nobilitati suae deberi contendunt malis artibus ambitiosi, vacordesque. Sunt praeterea non pauca diuitibus concedenda, quoniam magnum Principi praesidium est à pecuniosis hominibus, ad omnem Republicae partem constitutum. multaque mouere possunt, nisi sint Principis beneficio conficti. sed ita demum in pretio habeantur, si bonis artibus studeant. si pecunias opesque ad honestatis studium conferant. Si diuites quamuis omni virtute vacui, pramiis & honoribus augentur, auaritia, insolentia, ignauia in populo sancietur: soloque beatos credent, quorum erit ingens census, ample possessiones. egeni in sordibus perpetuo iacebunt nulla emergendi spe: Vnde desperatione concepta, concitati in diuites impetum facient. rixa, contumelia, latrocinia existent. Res in contrarias partes distracta fundis peribit. Si igitur Princeps sua dignitati & saluti publica seruire cupit, non opes ingentes, si virtute nudata sint, respiciat, non generis nobilitatem fouebit, si fuerit honestatis luce destituta: sed potius virtutem amplectetur & industriam, vbi cumque erit: retentaque statuendi libertate nullius hominis inanem fremitum timebit: ad nullius offensionem mouebitur: nullus erit tantis opibus mixtus, vel tanta nobilitate clarus, qui leges imperanti imponat, tantumque sibi sumat, vt ad studio ordinandae virtutis abducere Principem audeat.

Non tamen illustres familias etiam desides princeps abijciat, sed omninonem ad virtutem excitabit, & quemadmodum veterum vrbium ita quoque familiarum conseruationem, & augmenta cordi habebit.

Vetut vero eam praecipue ratione, quam Plato maximi fecit, vt, scilicet, pacatis familijs bellicosas inserat; est nobilis familia in oppidis, aut arcibus deliciarum sectatrix, diues tamen, & quieta, ex illa uxorem quærat nobili naupharcho, tribuno, viro forti, & feroqi, addet affinis animum, & secum in labores, & dulce decus victoriarum trahet. Iuuenem nobilem domi delitescentem, aut pompis aulicis occupatum, socero tradat militari, sic enim vnus virtus & generum, & nepotes excitabit.

Deinde princeps nobiles circum se nullos habeat, nullos aestimare se indicabit, nisi quos prudentia, temperantia, labor deleat. Quod autem caput est, magno delectu virtutis, prudentiae, opum, in singulos annos bene meritos nobilitabit, Republicaeque adhibebit. Duo hinc consequetur, primum vt nobiles, deinde vt idoneos magistratus habeat.

Nouos homines, seu recens creatos nobiles multi veterum saepe irritant, quos contra Cicero l. 3. Ep. disputat, ostenditque posse esse in rebus fine nobilitate, & nobilitatem sine in rebus quod etiam Eurypides egregie expressit.

ὁ μὲν γὰρ ἐστὶν ὁ ἐν γένει ἔμολ' ἄνθρωπος,
ὁ δ' οὐ δικαίος, καὶ ὁ ἀμείνωνος παλῆς
Ζῆνός τε φέρει, δὲ γένος εἶναι δοκεῖ.

Vir bonus nobilis mihi videtur, qui iniustus est, et si patre nobiliore natus sit, quam ipse sit Iupiter, ignobilem duco.

Agnoscant illos licet nouos, quia & ipsorum maiores noui fuerunt, & horum posteris antiqui stemmatis dicentur. Prudenter Seneca Ep. 4. 4. Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem reuocentur, à diis sunt. Eques Romanus est, & ad hunc ordinem tua te perduxit industria: at me hercule multis quatuordecim sunt clausi. Non omnes curia admittit: castra quoque, quos ad laborem & periculum recipiunt, fastidiosi legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles nec reicit quemque philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem non accipit nobilem philosophia sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem, si hoc protinus tibi persuaseris à nullo te nobi-

Omnis
bilitas
quanti-
ua.

Nouus
des cur
ui finit

Excitanda
nobilitas.

Nouos no-
biles creabit

Nobilitas
suo exiliis
causa.

CAPVT XXI.

Potentiam com meatibus in usum compor-
tatis stabilem esse.

§.1. **D**E viris, armis, alijsq; dicendum, sed hæc ad librum de bello melius conferam, nunc de reliquis agamus, inter quæ primarium est, ut horreis, & annonæ princeps prospiciat. Omnem potentiam domat fames, multas vrbes & regna hosti tradidit inopia. sed nec in pace vllum firmius præditiū principi, quam com meatus, nec quicq; periculolius fame, si eam sedare princeps nō potest. Sine ferro vincitur, qui frumenta, aliaque cibaria tempori non præparat. Imo in pace periclitatur, ieiunus miles nullivtilis est, ieiunus cuius nulla maiestatis reuerentia tenetur.

§.2. Horrea igitur publica frumenti, vini & olei apothecas Respublica instituet, quod facere poterit non magnis impendijs, si agros publicos habeat, si in vilitate annonæ triticū coemat, quod fecit Iosephus in Ægypto. Potēs est ad alliciendam plebem frumentaria largitio, Melius eo modo ad regnum tendebat, pane dato Romanum Imperium ad se tracturus, nisi optimates obstitissent. Parum sibi princeps consulit, qui eam occasionem negligit. Quantum Romæ frumenti conditum fuerit dictū incredibile est. Pulchre, & erudite hæc de re Lipsius in admirandis l. 2. c. 10. Frumentatio igitur vetus Roma, & ab ipso etiam Senatu. Ille in rebus & annonæ arcta, quasi benignus pater, miseratus plebs, frumentum aliquando diuisit, non tamen nullo sed modico ere. Accessere Tribuni statim, & hæc tam populare sibi vindicarunt, variis Frumentarijs legibus latis. Vltimus in hac re Clodius Annonariam legem tulit, ut frumentū, quod antea populo semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, GRATIS daretur. Ita Asconius: atq; hæc origo deinde continuatio gratuiti frumenti fuit. Senatus quidem statim à coniuratione Catiline, largitione hac tali usus erat, auctore ipso Catone: sed nescio an sine vlllo pretio. In Plutarcho hoc sic narratum, sed verbis qua pensanda sunt. Ait, C. Casarem in Prætoris ares novas tentasse, populo suspecto & mobili, ob Catilinarias illas turbas. Cato igitur, ut præueniret, & πεισε τὸν βουλευτικόν ἀναλαβὼν τὸν ἀπορον ἀνέμεινον ὄχλον εἰς τὸ σιτηγέσιον ἀναλαμνῶντες μὲν οὐτὶς ἐν αὐτῷ χιλιῶν καὶ διακοσίων καὶ πενήκοντα ταλάντων. Suasit Senatui assumere egeum & in diuisum populum ad frumentationem, & si sumptus esset mille ducentorum quinquaginta talentorum. Id sit trecenties H. S. more Romano; nostro, septingenta quinquaginta millia Philippicorum. Vides igitur impendium in hanc rem, quod illo auro fuit.

Et deinceps mansit sub Imperatoribus nisi quod per ciuilia bella numerus accipientium cum immensum creuisset, Lulius Cæsar recidit. de quo Suetonius: Ex viginti trecentisq; millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit: aut si Dionem audis, ad centum sexaginta: quia dicit ad mediam partem redactos. Paruum discrimen: sed Augustus deinde auxit, & ducenta millia fecit. an & Tiberius: etsi ille minime popularis: tamen recenser in Senatu (apud Tacitum) quibus e prouincijs, & quanto maiorem quam Augustus rei frumentaria copiam aduectaret. Ergo & in plures, nisi fallor distribuendam.

Sed hoc genus iam supra improbaui, hiantantum ostendere volui ad populi colligendam gratiam, hoc fuisse semper usurpatum. Nec potest quisquam, nisi de annonæ prospectum sit, tuto bellum gerere. Cæsar Augustus, & Antonius tanto Potentiores Pompeio ob famem populi periclitati sunt. Rem narrat Dio. Tum Romanos, (quia Sardinia occupabatur, vexabaturque maritima regio) res frumentaria defecit. Quamobrem quum ingens fames esset, eaquæ

Fames omnia infirma facit.

In fame si liber alius sit princeps potēs efficitur.

nobilitate superari. Omnibus nobis eorundem arte nos sunt. nullius nō origo vltra memoriā iacet. Plato ait: Neminem regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruū ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergo generosus? ad virtutem bene à natura compositus. Hoc vnum est inueniendum, alioqui si ad vetera reuocatur, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu vsq; in hoc tempus, perduxit nos ex splendidis, sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed Libertinum: potes hoc consequi, ut solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquit, si mala bonaque non populo auctore distinxeris.

Omnis nobilitas ali-quando noua.

Totam nobilitatem si spectemus pauci vltra du-centos, pauciores vltra trecentos, paucissimi qua-dingentos extendunt insignia. Quotus enim quisq; nobilium in actis & historiis ante eos annos celebr inuenitur? Ridendæ igitur Arcadem Lunulæ, si eas ad antiquitatis iactationem in calceamentis ferebāt, tanquam essent luna vetustiores, laudandæ, si pro symbolo mutationum.

Insignem vilitatem nouorum promotio Reipub-licæ adducit: cum enim vetus nobilitas illos partim contemnat, partim eorum incrementis inuideat, duo necessario noui spectare debet, ut sint extra contem-prim, dein extra inuidiam. Extra contemptum erūt, si rebus magnis, honestis, laboriosis, sumptuosis fidelem, gnauamq; operam principi exhibeant, illiq; accepti sint; quemadmodum Daniel & socij eius in regia Chaldeorum. Hæc tamē faces inuidiæ inflam-mant. Ita in aura Darij factum, Dan. 6. 1. iacuit Dario, & constituit super regnum Satrapæ centum & viginti, ut es-sent in toto regno suo; Et super eos principes tres, ex quibus Da-niel vnus erat: ut Satrapæ illis redderent rationem & rex non sustineret molestiam. Igitur Daniel superabat omnes principes & Satrapas, quia spiritus amplior erat in illo. Porro Rex cogi-tabat constituere eum super omne regnū: vnde principes & Sa-trapæ querebant occasione ut inuenirent Danielē ex latere re-gis: nullamq; causam & suspitionē reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo.

Hæret rectis successibus inuidia, magis vero cum obstrui suis luminibus alij animaduertunt. Inuidiam vero effugient, aut minuent, modeste, ciuilitateq; vi-uendo: itaq; nec fastu, nec sumptu prohibebūt. Veteres nobiles horū virtus exstimulabit, ut Themistoclem Miltiadae trophæum, & eadem via ad fauorē princi-pi, per benefacta tendant. Deinde alios ex eadem fa-milia alijq; excitabit, ut se quoq; audeant tollere hu-mo. Nec vilior nobilitatis erit æstimatio, deligetur n. tales, qui ornamento sint Reipublicæ, non quorum nobilitas Cicadæ sint, aut prætextæ, sed qui eruditio-nem, prudētiā, agendi dexteritatem, magnanimitatem ad gubernationem adferant, quibus non no-bilitas velamen vitiorum, & ignauitæ, sed eos, & cal-car in diuitiis est. Succrescet itaq; noua nobilitas ve-teris amula ipsa mox futura vetus, decrescet & ut re-mediorū præstantissima cū putruerunt nocentissima venena fiunt, sic generositas stirpis cum in degeneres mores est corrupta, Respublicam grauius inficit.

Vitia illa serio corriget princeps, præsertim si iniurias inferant, nam ferendo augefcunt, quo facto vel nobilitas Respublicam turbabit metu iudiciorum, ut Rhoti factum est, vel populus insurget, ut factum in Heluetia, ut ante annos centum in multis Ger-maniæ locis factum est. Idem factum anno 1514. in Vngaria; Genienses anno 1505. nobilitatem eiecerunt. Nobilium Polonicorum tyrannidem Casimi-rus Rex opportune corripuit, populo iam in conspirationem propenso. Cramer. l. 6. de gestis Polonorum.

Nobilitas seu exilis causa.